

05

A

2445









Disputatio Theologica

DE

DEO,

*Ejusq; Actionibus.*

Quam

IPSO DEO DIRECTORE,

PRÆSIDE

*Viro admodum Reverendo, Clarissimo,  
Excellentissimo, & celeberrimo,*

**DN. BALTHASARE MEISNERO,**

SS. Theol. D. & Profess. Publico, Præceptore  
& Promotore suo æternùm colendo,


*Publicæ ventilationi subjicit*

In præcellentissima Academia VVitebergensi,

**GEORGIUS NAGELIUS**

Brandeb. Marchicus.

*Habebitur ad diem 16. Junii. horis à 7. matutinis.*



WITTEBERGÆ

Ex Typographæo AUGUSTI BORECK,

ANNO M. DC. XXV.







05 A 2445







# Disputatio Theologica

## DE DEO.

### Quaestio I.

### DE NOMINIBUS DEI.

#### THESIS I.

**S**ummus & Praecipuus in Theologia locus de summo & praecipuo agit ente nimirum Deo ter optimo Maximo. Nam ad Dei gloriam omnia ut faciamus, praecipitur 1. Cor. 10. v. 31; in Dei cognitione vitam aeternam consistere, asserit Christus Job. 17. v. 3. *In hoc ergo gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me, dicit ipse Deus Jer. 9. v. 23.*

#### I.

Non ergo temporis & operis erit dispendium, si de Deo meditationem instituentes, unam atque alteram quaestionem, ad Dei cognitionem spectantem enodaverimus, aliisque examinandam proposuerimus: Sic enim faciem Dei in verbo divino, ceu speculo rectius intuebimur, ipsamque salutiferam scientiam in nobis adaugere poterimus, & confirmare.

#### III.

Quoniam verò Nomina sunt symbola & signa Rerum, ante omnia quaedam de Nominibus Deo in scripturis assignatis, erunt annotanda. E quibus primarium est illud, *essentiale*  $\overline{\text{I}}$ , quo se ipsum nominat, Ex. 3. c. v. 14, ubi Moses interrogat, si dixerint mihi, quod est nomen ejus, quid dicam eis? respondet Deus: Ego sum qui sum. Notat nimirum Deus, se in suo esse non dependere ab alio, sed per se, & ex se independentur esse, quod est. Unde haud infallibili sequela sequitur, Nemini nisi natu-



balli & æterno Deo, nomen J E H O V A simpliciter & extra compositionem sumptum, attribui posse.

IV.

Deinde in sacris literis vox Dei sapissimè occurrit, de qua breviter observetur, quod non semper uno & eodem modo accipiatur. Modò enim usurpatur propriè, eique competit, qui per essentiam est Deus, ut *Esa.* 44. v. 6. Ego sum primus & novissimus, absque me non est Deus. Postea de creaturis & hominibus hæc vox dicitur metaphoricè, ob adjunctum officium, quod administrant, *Psal.* 82. v. 6. Magistratus vocatur Deus. Latini prius nomen exprimunt per vocem Domini, notantes Dei potentiam, quod habeat dominium in creaturis, eisque leges & mandata ponere possit, *Psal.* 8. v. 1. *Psal.* 33. v. 9. ipse dixit & facta sunt *Psal.* 102. v. 26. terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Hæc vox soli Deo etiam non convenit, siquidem homines vocantur Domini, ob alios ipsis subjectos, *Eph.* 6. v. 5. Dum verò de Deo hoc vocabulum dicitur, sumitur strictissimè & eminentissimè. De hominibus verò ἐν πλάτῃ, id est, in latà significatione.

V.

In sacra lingua nominatur Deus יְהוָה *Gen.* 17. v. 1. hoc est, unum ex nominibus à potentia ejus desumptis. Hinc Lutherus in Germanica versione illud reddidit Allmechtig. Neque tamen solum notat potentiam, sed etiam Dei ἀνταρκειαν, summam perfectionem, quod nimirum sit ἀνταρκῆς nullius indigens, utpote, qui omnia possidet *Psal.* 50. v. 10. & seq. *Psal.* 115. v. 3. Nos etiam quicquid habemus, ab ipso promanat. Alii putant hoc nomine notari benignitatem Dei, quod verè sit almus, omnia sustentans.

VI.

Est autem hæc appellatio Dei antiquissima, quâ Abrahamo, Isaac & Jacobo innotuit, *Gen.* 17. v. 1. 28. v. 3. 43. v. 14. ut fidem illorum propositâ suâ omnipotentiâ confirmaret, ut scirent Deum divitem esse in misericordia *Ephes.* 2. v. 4. neque ei deesse vires ad defendendam ecclesiam. Vide plura apud Rev. Excell. Dn. D. Gesnerum in disp. *Bibl.* 5, th. 23, 24, 25, 26.

His.



## VII.

His superius positis Dei nominibus, addi possent *longè plura*, cum verò hic brevitati studeamus, illorum prolixam enumerationem, hoc loco removebimus, in primis cum ea quæ notatu digna essent, non sint *adeo multa*, videatur interim Polanus in syntagm. Theol. pag. 137.

## Quæstio II.

*An vox DEI sit nomen Essentia, an officii?*

## IIX.

Hanc controversiam Photiniani proponunt, & posterius quæstionis membrum affirmant, docentes vocem Dei solùm significare dignitatem aliquam sublimem, non verò essentiam, ita scribit Osthodorus in institutione sua, vocem Dei, nihil aliud significare, quam Dominatorem & Governatorem. Cui consentiunt Antitrinitarii reliqui ferme omnes.

## IX.

Verùm nos affirmamus vocem Dei, tum officium, tum essentiam significare. 1. Si vox Dei solam haberet significationem officii, tum hoc nomen Deus non habuisset ab æterno, quo dicitur Deus. Ab æterno enim Deo non convenit esse Governatorem omnium creaturarum. Sunt hi actus ad extra, habentq; respectum ad creaturas, quæ non fuerunt ante conditum mundum. 2. Cui vocabulo additur epitheton, quidditatem significans, illud non solùm est nomen officii, sed etiam essentiæ. Vocabulo Dei in scripturis additur epitheton, quidditatem significans. Ergo vox Dei est tum nomen essentiæ, tum quoque officii. Min prob. Apoc. 12. v. 8. Ego sum  $\alpha$  &  $\omega$ , principium & finis, dicit Dominus *qui Est & Erat*.

## X.

3. Quo nomine Jehova se distinguit à Diis gentilium, illud est tum nomen essentiæ, tum officii. Nomine Dei Jehova se distinguit à Diis gentilium, Ergo vox Dei est nomen essentiæ &

A 3

officii



officii simul. Min. prob. Deut. 32. v. 39. videte quod ego solus sim, & non sit Deus metum, adde Esa. 37. v. 16. cap. 44. v. 6. & 8. c. 45. v. 5. & 21. c. 46. v. 9. I. Cor. 8. v. 6. & seq.

XI.

4. Voci Dei adduntur epitheta, quæ nemini conveniunt, nisi illi, qui natura est Deus, ut quando legimus de Deo magno faciente mirabilia, redimente in brachio suo populum: Suum, quem timeant aquæ, & metuant abyssi, Psal. 77. v. 14. & seq. de Deo magno, Rege magno, super omnes Deos, in cujus manus fines terræ, & altitudines montium Psal. 95. v. 3, 4. & seq. de Deo absq; quo non est Deus, Os. 13. v. 4. & hujus generis testimonia longè plura reperiuntur in V. & N. T. libris, quæ nomini Dei talia adjungunt epitheta, quæ præsupponunt divinam naturam.

Quæstio III.

DE DEFINITIONE DEI.

XII.

Deum definiri non posse, Theologi & Philosophi saniores concedunt, de ejusque quidditate nihil nos scire, affirmant. Timæus disertè asserit: Autorem & Parentem hujus universitatis invenire operosum est, & inventum definiri non potest Damasc. l. 1. c. 3. ait: *τι ἴστι κατ' ἔσιν Θεός, ἀκατάληπτον παντελῶς καὶ ἀγνωστον*, item *ἴστι Θεὸς ἢ ἴστιν εἰπεῖν ἀδύνατον κατ' ἔσιν*, hoc est, Dei definitio investigari nequit Dn. D. Hafenref. in loc. Theol. loco de Deo p. 27. act. Facilius quid non sit, quàm quid sit Deus, explicatur. Interim tamen definiri & eum describi definitione imperfectâ, & qualicunq; circumlocutione posse, affirmamus. Dn. D. Franzius in vindic. disp. pro Aug. conf. hab. disp. 2. de Trinitate ait: Deus juxta regulas Logicas definiri non potest, sed potius historicè & concionatorie. Ut enim gustus non potest judicare de sono, quia sonum non percipit: Ita nec homo de Deo differere potest quoad internam ejus essentiam, & proprietates ab interna essentia dependentes. Dicamus proinde cum Hilario l. 5. de SS. Trinit. f. 20. Non est de Deo humanis judiciis sentiendum. Neq; enim nobis ea natura est, ut se in cognitionem cœlestem suis viribus efferat: A Deo discendum est, quid de Deo  
intelli-



*intelligendum.* Non ergo secundum rationem humanam de Deo loquemur, sed ex Scriptura sacra Dei definitionem petemus. Ipse Deus Jacobo Patriarcho nomen suum indaganti, cum indignatione respondet, Quid sciscitaris nomen meum? Similiter quoque Manoæ, Simsonis Patri *Jud.* 13. v. 19. dicit Quid sciscitaris nomen meum, quod est mirabile?

### XIII.

Exinde videmus, quod quatenus divina essentia insit ἀκατάληπτος, eatenus etiam ἀκατανόμαστος. Quatenus autem se revelavit, eatenus secundum revelationem ex operibus sibi nomen indidit. Sunt autem ea quæ de Deo dicuntur, duplicia; quædam sunt, ἀποφατικά, quædam καταφατικά. Negantia sunt: cum dicimus Deum esse ἀύσιον, substantia creata carentem, sine principio, sine tempore, incomprehensibilem, infinitum, immortalem.

### XIV.

Hæc non ita Deo attribuuntur, ut eum creaturis inferiorem esse demonstrent, aut privationem aut impotentiam ei inesse argumententur, sed quod probent Deum omnia quæ usquam in mundo sunt, longè superare. Ipse enim est nihil eorum, quæ sunt in rerum natura, sed super omnia est *1. Tim.* 1. v. 17.

### XV.

Affirmantia partim divinam naturam notant, & sunt absoluta τὰ ἰσχωρή, ut Deus, Jehovah, Essentia, natura, partim relativa, & hæc iterum duplicia, aut enim intra divinam essentiam fiunt, & personam divinitatis distinguunt, ut Pater, Filius, Spiritus S. gignere, nasci & procedere, aut in creaturas exeruntur, quo nomine divinæ ἐνεργείαι continentur, quæ vel universales, justitia & misericordia, vel speciales, erga ecclesiam, cujusmodi sunt collectio, gubernatio ecclesie, & æternæ beatitudinis donatio. Quæ si in summam colligantur omnia, ejusmodi definitionem possunt constituere. Deus est essentia spiritualis, æterna, infinita, misericors, justa, sapiens, omnipotens, omnipræsens, æternus pater, qui ab æterno genuit filium, Filius imago Patris, & Spiritus S. ab utroque procedens.

Quæstio



## Quæstio IV.

*An Dei cognitionem ex Scriptura sacra discere, aut  
an expectare immediatam, occultam, extraordina-  
riam & singularem manifestationem Dei  
debeamus?*

### XVI.

Hunc errorem fovent Enthusiastæ & Weigelius, qui cen-  
sent Deum ex Scriptura cognosci non posse, sed immediatum &  
internum Dei colloquium jactitant, asserentes hominem non  
egere scripturæ lectione, & ministris verbi non egere, non au-  
diendas esse conciones, sed Spiritum S. concionari & manife-  
stare homini cognitionem Dei. In Phil. myst. Weigel. f. 20. ait.  
*Nullum aliud verbum proprie loquendo est, quàm Filius Dei, verbum Dei  
non est sonus aut litera, verbum exterius nullius operationis & efficaciæ est.*

### XVII.

Affinis est huic errori error M. Pauli Nagelii Mathematici,  
dicentis, scripturam secundum asterismos, & positum syderum  
rectissimè explicari, & nihil contineri in scriptis biblicis, quod  
non scriptum extet in cælo, vide ejus tractatum quem de Co-  
meta refert, & Disp. Theol. Dn. M. Stockii de sacra scriptura  
Halæ habitam.

### XIX.

Ex Dei autem verbo, quod fallere non potest, & est ipsa ve-  
ritas Joh. 17. v. 17. hauriendam esse de Deo cognitionem, rectè  
sentientium judicio constat. Dn. D. Chemnitii in loco de Deo,  
& Dn. D. Gesneri in disp. de Deo th. II. hæc est quoque senten-  
tia.

### XIX.

Contra Weigelianorum conclusionem hæ rationes mili-  
tant: 1. Qui remittit nos solùm ad scripturas, ille vult sui co-  
gnitionem ex ea solùm hauriri. Deus homines remittit solùm,  
ad scripturas, Ergo sui cognitionem ex ea solùm vult hauriri.  
Min. prob. Joh. 5. v. 39. Scrutamini scripturas. 2. Quo instrumento  
Deus



Deus sui notitiam est accensurus in hominibus, illud solum est regula & productio ejus notitiæ. Sed Deus promittit quod scripturarum lectione & prædicatione sit accensurus sui notitiam. Ergo scriptura sola est regula, & productio ejus notitiæ. Min. prob. act. 10. c. ubi Deus Petro Apostolo ait, quod prædicatione verbi & Evangelii lumen & scientiam de Deo sit Cornelio centurioni ostensurus. Ad M. Nagelii assertionem dicimus, quod Philosophia ad Dei agnitionem in genere nos deducat, Deum esse in cœli & mundi hujus machina evincat, scriptura vero mysterium Trinitatis sapientibus hujus seculi absconditum patefaciat.

### Quæstio V.

*An Gentilium & Ethnicorum de Deo cognitio sit consentanea scripturæ, & ad salutem sufficiens?*

#### XX.

Affirmant hoc multi, argumentisq; hanc assertionem probant, Zvvinglius in expositione fidei christianæ ad Regem Galliæ tom. 2. f. 295. Eandem conclusionem ex ipsius verbis deducit Gualtherus in Iohannem, f. 55. Beza, Calvinus & alii. Ex illorum cohorte unus dicit Deum scripsisse fidem in cor Senecæ, hoc probat ex ep. ejus 34. ubi ait: sic vivendum est, tanquam in conspectu Dei vivamus.

#### XXI.

Atq; hoc est, quod in hunc modum inficiamur: Quicumque populus affirmat unum Deum, esse in tribus personis, illorum cognitio de Deo & consentanea scripturæ, & ad salutem sufficiens. Gentiles autem affirmant Deum tantum unum in una persona esse. E. Gentilium cognitio non est consentanea scripturæ & ad salutem sufficiens: Extra Christum non est salus, Gentiles fuerunt extra Christum, E. eorum non est salus.

#### XXII.

Ad argumenta, quæ pro Ethnicorum cognitione salvifica possent afferri, distinguemus inter cognitionem de

B

Deo



Deo assertivam, & demonstrativam. Assertiva consistit in nuda confessione, & talis fuit in Ethnicis, Demonstrativa consistit in probatione, quâ ipsi caruerunt. 2. Dist. inter cognitionem de Deo simplicem, & hypostaticam, seu relatè consideratam, prior fuit in Ethnicis, posterior nullo modo. 3. Notitia alia est rei secundum quod sit, alia secundum quid sit, priorem habent Ethnici, posteriorem non.

### Quæstio. VI.

#### *An attributa divina in Deo ut accidentia considerentur.*

XXII.

Non inutiliter hæc quæstio movetur, sed ut Deum à creaturis distinguamus. Maluerunt igitur Theologi tali nomine, quod nullam imperfectionem Deo inesse evincit, actiones divinas denominare. Accidens & attributum differunt. Accidens significat essentiam accidentalem adeoq; imperfectam. Attributum & attribui subjecto dicuntur quæ cum subjectis sunt realiter eadem, & sæpe prædicantur essentialiter, teste Dn. Scheibl. l. 2. Metaph. c. 3. de Deo f. 113.

XXIII.

*l. 2. the-  
sauri c. 1.* Cyrillus c. 1. tradidit regulam: in Deum non cadunt accidentia. Sciendum verò attributa divina non esse ejusmodi *συμβεβηκότα*, quæ divinæ essentia prius existenti postea accesserint, quæq; *ὡς τὸ πρὸς τὴν ἑστίαν ὡς ἐν ὑποκειμένῳ* divinæ naturæ insint subjectivè, ut ab ea abesse nequeant. Id enim in simplicissima essentia locum non habet.

XXIV.

Attributa divina sunt duplicia, quædam quidditativa seu essentialia quæ essentiam Dei significant, sub confusis communibusq; conceptibus, ut spiritus seu substantia, de his nulla est controversia. 2. Alia attributa sunt quæ nominantur affectiones, hæc in Deum cadere, sic demonstramus. 1. Deus est aliquid *ἴσχυτον* scibile, sive consideratione dignum, At quæcunq; talia sunt, ea habent affectiones: Est enim scientia in tribus conjunctim, nempe in subjecto, principio & affectionibus. 2. Confirmatus.



firmatur hac hypothesi! Si Deus in scientia considerari potest, ut fiant demonstrationes, necessum est. At non demonstrantur, nisi quæ affectiones sunt, vel ad modum earum apprehenduntur. Dei actiones quæ ita concipiuntur non sunt subjective in Deo, sed solum à Deo procedunt. Unde nullam compositionem cum Deo faciunt. Fit enim compositio per unionem eorum, quæ in re sunt. Specialior attributorum distinctio hæc est, attributa alia sunt quidditativa, alia naturam circumstantia, aliã sunt Deo propria, alia communia, priora soli Deo, posteriora creaturis etiam conveniunt, attributa alia sunt positiva, alia negativa. Nec is sensus est hujus regulæ (in Deum non cadere accidens) quod nullo modo ipsi insint, sed quod non eo modo quo in creaturis, sed diverso, in creaturis est aliud est persona quæ vitam & sapientiam habet, aliud vita ipsa, sapientia & misericordia, sed vita & misericordia in Deo ipsa sunt substantia teste Dn. D. Chemnitio p. 1. loc. comm. in loc. de Deo p. 23. fac. altera Dn. D. Menzerus in exeg. Aug. Confess. p. 29. de Deo ait: *Hæc diversitas attributorum non pugnat cum absolutâ Dei simplicitate, cum non realem, sed notionalem duntaxat compositionem diversorum entium inserat.*

### XXV.

Attributorum non realis sed rationalis distinctio est triplex 1. ex distinctione rerum positivarum, quæ per negationem de Deo removentur, aliud est mori, aliud circumscripta præsentia, hinc occasionem sumit intellectus noster distinguendi in Deo immortalitatem & immensitatem, illa removent à Deo mori, hæc finitam præsentiam. 2. modus distinctionis est à diversitate operationum, alia operatio Dei est punire hominem, alia hominis misereri. Ex illa actuum diversitate discernit mens nostra attributa, nempe justitiam, quâ punit, misericordiam, quâ miseretur. Cassiodorus vocat duas res? Simile est, quod mens nostra in sole distinguat vim exiccativam & calefactivam, quæ alias à parte rei est simplex & indivisibilis qualitas, quia alia est operatio calefacere,

B 2

alia



alia verò exiccare. Et harum operationum intuitu solet dici quod distinguantur virtualiter. 3. Occasio distinguendi attributa divina est inde, quod quæ attributa correspondēt, attributis divinis, in rebus creatis sunt distincta. Ita apprehendimus in Deo voluntatem, intellectum, bonitatem & sapientiam. Homini & angelo conveniunt realiter, Deo verò prædicativè. Non etiam mutabilitatem in Deo demonstrant, sed tantum distinctos modos unius & ejusdem operationis.

XXVII.

Deinde etsi Deus expertissimus omnis ignorantia & impotentia est, tamen interdum de Deo dicitur pœnitere, ubi notandum est vulgatae Latinae linguae vocabulum hoc esse, quod rectius in hac materia redderetur quoad sensum *mutare Consilium*, unde hic non humanae fragilitatis conditio, sed tantum divina dispensationis revelata certitudo innuitur, Dn. D. Hunnius l. de Trin. p. 48. & 49. ait. i. Pœnitentia ex immutabili Dei natura estimata significat affectum, effectus voce designatum, sicut quando Deus est clemens, mutatio non accidit ex parte Dei, qui non mutatur i. Sam. 15. sed ex parte Ninivitarum, pœnitentia etiam non ad immutabilem Dei naturam, sed ad opera quæ facit, referenda est.

Quæstio VII.

*An mysterium S. S. Trinitatis naturaliter cognosci queat?*

XXVIII.

Ita opinatur Keckermannus, qui Trinitatem personarum duobus modis demonstrari scribit, ratione scil. & scripturis. Rationi primas tribuit partes in syst. suo Theolog. à pag. 9. usq; ad 20. Photiniani etiam mysterium Trinitatis ab Ethnicis profluxisse scribunt, ideoq; Platonicis & Ethnorum disputationibus eam acceptam referunt.

XXIX.

Verum hoc ratione humana investigari nequit, dist. Ergo cum Dn. D. Hafenrefero inter *demonstrationem & declarationem*, posterius ex ratione fieri potest. Deinde sic refutamus Kekermannum: ubi est inter cognoscens & rem cognoscendam  
propor-



proportio, sibi datur scientia, inter rationem & mysterium S. Trinitatis non datur proportio, Ergo mysterium S. Trinitatis ratione nostra cognosci non potest. Min. prob. quia intellectus noster est finitus, mysterium S. Trinitatis est infinitum & supernaturale. Deinde Dn. D. Franzius in disp. 26. de Trin. ait. multa extare apud Ethnicos, quæ ipsi ex rumore vicinarum ecclesiarum & Patriarcharum de Trinitate acceperunt, quod ipsorum proprii gregales sunt attestati.

### Quæstio II X.

*An tres sint Dii, & an Trinitatis voce mysterium hoc demonstrandum sit?*

XXX.

Quamvis nemo hoc facile asserat, attamen quidam ita sentiunt i. Praxeas circa annum Christi 200. nominibus non personis Deum esse Trinum affirmavit, quem refutavit Tertullianus. Sabellius ait. Quemadmodum in homine tria sunt anima, corpus & Spiritus, ita etiam tria in una divinitatis substantia esse nomina. Servetus inter Christomachos sumit impudentissimè vocabulū personæ in divinitate pro habitu, & officii distinctione, nec divinam hypostasim Filio & Spiritui S. concedit. Aëtiani tres personas tantum tres qualitates nominant. Manes cum suis Manichæis docuit duos esse Deos, unum causam boni in natura, & alterum malum principium & causam omnis *ἀραξίας*.

XXXI.

Verum hæ rationes minimè unitatem Dei evertunt. Nam sacra scriptura apertè eam probat Deut. 6. v. 4. *Audi Israel Deus noster Jehova unus est.* Esa. 45. v. 5. *Ego sum Dominus, & non alius, extra me non est Deus* 1. Cor. 8. v. 5. *Etsi sunt qui dicuntur Dii sive in cælo sive in terra, nobis tamen est unus Deus.* 1. Pet. 3. v. 21. *baptismus est stipulatio bonæ conscientie cum Deo, ubi unitas essentiae divine notatur, quæ explicatur* Matt. 28. v. 18. 1. *Joh. 5. v. 7. tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Fil. Spir. S. & hi tres unum sunt.* 2. Membrum hujus quæstionis, quod voce Trinitatis mysterium hoc demonstrandum sit,

B. 3.

impu-



impugnant Photiniani, ut Franciscus Davidis, Socinus, Schmalcius, Enjedinus & alii, qui dicunt verba illa Joh. 5. v. 7. tres sunt &c. non haberi in versione Syriaca, nec in quibusdam Græcis exemplaribus & quod eandem Phrasin omiserit Lutherus in sua paraphrasi germanica, nec extare eam in sacris literis.

XXXII.

Nos verò concludimus vocabulum Trinitatis, etsi in scriptura secundum literam, sive quoad expressa verba non habetur, extat tamen in eadem quoad rem, sive implicita & necessaria consecutione, 1. in scriptura habetur vocabulum tres 1. Joh. 5. v. 7. 2. trium personarum fit mentio Matth. 28. v. 19. Matth. 3. v. 16. 17. 3. adhibetur à nostris Theologi vox Trinitatis, non quia scriptura dicit, sed quia non contradicit. 4. licet in aliquibus exemplaribus Græcis non habeatur, tamen extat in exemplaribus vetustis Græcis, quod testantur libri Roberti Stephani. Et Erasmus scribit, repertus est apud Anglos Græcus codex, in quo habetur quod in vulgatis deest. Sic etiam Latina Hieronymi versio id ipsum in omnibus exemplaribus habet. Ita sentiunt nostri Theologi, Dn. D. Diethericus in instit. cath. p. 228. Dn. D. Franzius in vindic. disp. Theol. de trin. q. 2. th. 64. Dn. D. Polycarpus Lyserus in disp. 6. de art. Symb. Apost. th. 26.

Quæstio IX.

*An præscientia Dei sit causa efficiens rerum præscitarum?*

XXXIII.

Προγνωσις nunquam est, causa efficiens rerum præscitarum 1. enim sequeretur, ut præscientia Dei est æterna, ita etiam præscita esse æter. a, quod est absurdum. 2. Deum non liberè, sed necessariò agere, 3. omnia immutabiliter evenire, cum contrarium pateat, Esa. enim 38. v. 1. Deus Hiskia Regi mortem annuntiarit finit, quæ tamen ad preces Regis ad quindecim annos differitur. 4. Si præscientia Dei esset causa rerum præscitarum, sequeretur Deum esse autorem malorum quatenus mala, quod est impium dictu. 6. Si præscientia Dei esset causa rerum præscitarum, Deus esset mutabilis, quod est contra scripturam.

Errant



XXXIV.

Errant proinde Calviniani qui istam *αἰτία* lapsus Adami causam esse, vel necessitatem labendi importare inquit. Nam sicut Astrologus non est causa predictæ eclipseos, nec Medicus morbi, nec Nauclerus tempestatis. Ita nec Deus prævidens, vel Dei præscientia est causa mali. Nam præscientia est intellectus divini actio, notans simplicem prænotitiam, non efficacem producendi voluntatem, nihil quoque causatur vel efficit. 2. Actus nūquam est causa sui objecti, sed contra. Hinc Theologi habent Regulam: Res non pendent à scientia sed scientia à rebus.

XXXV.

Non enim, quia Deus hoc vel illud præscit, ideo sic evenit, sed quia ex aliis propinquis vel in natura vel in voluntate positis causis, res eventuræ erunt, idque contingenter, ideoque si aliter evenirent, sicut evenire poterant, id ipsum vidisset Deus. Nec firma est assertio: Si res præscitæ mutabiliter eveniunt, ergo Deus eas mutabiliter videt. Nam ut lux Solis non inquinatur à rerum quas perstringit impuritate: Ita multo minus scientia Dei sordidatur accidentibus. Non ergo valet hæc collectio. Res quæ videntur sunt malæ, Ergo præscientia Dei eas aspiciens est mala. Nam sicut monstra non causis universalibus & communibus, sed particularibus & propriis tribuuntur, quandoquidem neque error in Deum cadit: ita quoque cum monstris animorum vel peccati comparatum est. Deinde Dn. D. Hafenferus ait in loc. de provid. in his dictis, ut impleretur quod dictum est, Matth. 13. v. 25. Particula *Ut non est causalis, quasi predictiones istorum, ut fierent, causa extiterunt, sed est demonstrativa eventus, quod certissimo eventu completa fuerint quæ predicta sunt.* Improprie propterea præscire Deus dicitur res respectu nostri futuras, qui alias præsentis aspicit, ac proinde rectius scire & videre, quam præscire & prævidere. Ideo proprie loquendo Deo nec futurorum à longè prævisio, nec præteritorum ex anteacto tempore reminiscencia seu recordatio tribuenda. Sed rerum omnium, quæ sunt, & fuerunt, vel futuræ, respectu nostri præsentissimus aspectus, sicut scriptum Psal. 90. mille anni coram te ut dies unus. Consule etiam Dn. D. Hunnium in disp. 7. de provid. th. 8. Marp. habita.

Deinde



Deinde hac conclusione refutamus Calvinianos. Prænotio non est causa eventus, & ejus quod eventurum est, sed id quod est eventurum, est causa prænotationis, non enim ad præscientiam veluti ad causam consequitur id quod evenit, sed contra ad rem præscitam sequitur præscientia. Ita sentiunt nostri Theol. Resp. Excell. Dn. D. Gesnerus in 3. disp. de bibl. de 30. Gen. scripta q. 7. Dn. D. Meisnerus p. 1. Phil. Sobr.

## Quæstio X.

*An Deus & caro Christi sit Omnipotens?*

## XXXVII.

Quod Deus sit omnipotens, scriptura & conscientia testatur Genes. 17. v. 1. dicit Dominus Abrahamo: ego sum Dominus omnipotens. Luc. 1. v. 37. apud Deum non est impossibile omne verbum. Job. 42. v. 2. Scio quod omnia potes. In scriptura per metonymiam sæpe brachium vocatur omnipotentia Dei, Exodi 6. v. 6. Psal. 43. v. 4. dextera & brachium tuum salvabit eos, virtus & potentia Dei Psal. 20. v. 14.

## XXXVIII.

Omnipotentia etiam hic non sumitur sensu Calviniano, ut sit secundum opinionem Wolffgangi Musculi *aliud esse omnipotentem, & aliud omnifacientem*, nec etiam Bezæ effugium hic locum habet, qui in illo Matth. 28. v. 19. Salvator sibi omnem potestatem in cælo & in terra (quæ nihil aliud nisi omnipotentia divina est) & quidem ratione humanæ suæ naturæ jactitat, in voce ἐξουσίας latibulum quærentis, & distinguentis inter δυνάμιν h. e. potestatem, ἐξουσίαν, quam auctoritatem, & ἀνεξουσίαν jus & licentiam interpretatur, & 2. Christo quidem datam esse ἐξουσίαν, sed non omnem δυνάμιν, hoc est omnipotentiam infinitam & divinam asserentis.

## XXXIX.

Verum fallitur Beza & reliqui Calviniani, qui hoc discrimen vocabulorum putant universale esse, sæpe cum è contra permutentur tanquam synonymæ, ideoque annotante Scapula, Plutarchus & Herodianus ἐξουσία καὶ δυνάμιν sæpe copularunt; hinc

Beza part.  
1. resp. ad  
acta Col-  
lo 1. Mōp.  
f. 100. &  
Matth.  
Martini  
contra in-  
cision. ner-  
vorum Dn.  
D. Menz.  
f. 115.



hinc ἐξουσία per potestatem vel potentiam habeo redditur, & ἐξουσίας Dominus dicitur. Deinde etiam scriptura utrumque conjungit, & uno eodemque sensu has phrasas accipit. *Luc. 4. v. 33. ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει* imperat immundis spiritibus *Luc. 9. v. 1. dedit illis δυνάμειν καὶ ἐξουσίαν* super omnia dæmonia. Utrumque Christo datum asseritur *Eph. 1. v. 20. 1. Pet. 3. v. 27. Apoc. 5. v. 12.*

XL.

Firmum ergo manet, quod contra assertionem Calvinianorum à Lutheranis rectè affirmetur, potestatem omnem Christo datam esse, id est, omnipotentiam ipsam, cum in tempore juxta naturam nihil ei dari possit. Huc accedit quod *Dan. 7. v. 14. potestatem hanc vocet æternam Psal. 8. v. 8.* David dicit Christo potestatis hujus ratione omnia pedibus ipsius subjecta esse. Deinde Apost. Petrus *Act. 10. v. 18.* affirmat quod Deus ipsum unxerit *δυνάμει* & virtute, *quali autem virtute*, nequaquam finitâ & creatâ sed infinita & divina, Qua Deus cum eo, carnis autem ratione unctus est, ideo virtute divina instructus secundum assumptam carnem circumivit, benefaciens & sanans omnem, qui sub diaboli potestatem redactus erat.

XLI.

Nostri Theologi consentiunt, Dn. D. Gesnerus in disp. de Deo, quæst. 8. th. 7, 8, 9, 10. Dn. D. Meisnerus p. i. Phil. Sobr. q. Grammatic. p. Dn. D. Ekhardus in fascic. controv. Theol. de art. de Deo. Denique Calvinianos sic refutamus. Potentiæ cui nihil impossibile, illa non patitur *coarctationem*; Potentiæ Dei nihil impossibile est, Ergo potentia Dei non patitur *coarctationem*.

Quæstio XI.  
*An Deus sit omnipræsens?*

XLII.

Dissertatio meritò instituitur de Dei omnipræsencia ut homini dubitatio & scrupulus hac in parte eximatur. Difficilis autem est quæstio ita ut Chrysostr. inquit: Multa de Deo intelligimus, quæ penitus eloqui non possumus, multa rursus eloqui-

Chrysostr.  
hom. 2. in  
Epist. ad  
Ebr. Lomb.  
l. 3. sent.  
dist. 3. 6.

C



*Lombard.* quimur, quæ tamen intelligere non sumus idonei. Lombardus  
l. 3. sentent. ait: Quod Deus sit Ubique, scimus, quomodo autem sit ubi-  
div. 36, 37. que, intellectu non capimus.

XLIII.

Illorum autem sententia veritati non est consentanea, qui dicunt, Deum Essentialiter seu per essentiam suam esse in se ipso, sicut Pater in filio, Filius in patre, Spiritus S. in utroque. In reliquis rebus verò Deum esse virtute, potentia, efficaciam effectivè. Nam 1. etsi aliter Deus sit in se ipso, per ineffabilem S. S. Trinitatis *ἁπλοῦς*, longè etiam in creaturis adest, tamen non sola operatione eminens emanante creaturas moderatur, sed nobis præsens est secundum essentiam, ut manibus eum apprehendere possemus, nisi spiritualis natura contactum corporeum effugeret.

XLIV.

Quando etiam dicimus Deum esse ubique, *ubi imaginarium*: intellectus noster fingit, verum non reale. 2. dist. inter *localitatem & locabilitatem*. Localitas verus locus; locabilitas verò habet modum & respectum loci, localitatem negamus, locabilitatem concedimus. Dn. D. Menzer in exeg: A. Conf. Art. de Deo attrib: 3. p. 30. Locus vel motus localis est singulare opus, per quod se eo loco manifestat. immerito propterea à Calvinianis, Theologi Lutherani accusantur ubiquitatis expansivæ & diffusivæ quasi Christum per omnia spatia corporis expansum distendant. Nam sicut credunt Deum ubique adesse, ita ut digito comprehendat omnia: Ita etiam Christum secundum humanam naturam ubique esse asserunt, non quod per omnia locorum spatia sit expansus, sed quod omnia puncti instar sibi præsentissimè habeat.

Quæstio XII.

*An detur in Deo voluntas signi &  
beneplaciti?*

Divisionem hujus, originem, & Definitionem utriusque ponemus, priusquam hic usum & abusum tractamus. Divisio hæc



hæc extat apud scholasticos l. i. sentent. dist. 48. Hi dicunt voluntatem dupliciter capi, propriè, ut est dispositio seu beneplacitum Dei, vel figuratè pro signo voluntatis, quo interius beneplacitum exterius notificatur. Hinc etiam orta est distinctio inter voluntatem signi & beneplaciti.

XLVI.

Hanc Gregor. de Valentia ita explicat. Voluntas beneplaciti appellatur ipsa inclinatio seu propensio Dei in objectum à se cognitum, quæ inclinatio propriè divina voluntas vocatur. Voluntas autem signi dicitur id quod solet esse signum voluntatis erga aliquid. Ex hoc intelligitur quod sensu scholastico Voluntas Beneplaciti sit ipsum internum Dei consilium, voluntas autem signi verbum vel actus aliquis purus quo interius suum manifestat consilium. Dn. D. Hutterus l. concord. pag. 63r. sententiam scholasticorum hac distinctioe explicat: voluntas signi est effectum Dei, quando foras progreditur ad nos (puta per verbum & Sacramenta. Voluntas Beneplaciti est substantialis Dei majestas.

XLVII.

Non autem hac distinctioe duplicatur Dei voluntas, ita ut exterius nos Deus vocet, & interius nolit ut vocationi pareamus, multò minus oppositas sibi invicem, & distinctas esse affirmamus, sed pro una & eadem sumimus. Nam ut falsum est signum, quod aliud significat, præter id, cujus signum esse dicitur: Ita etiam voluntas signi nulla est, si non id ipsum quod interius decretum est, exprimat. Proinde falsum est quod voluntas signi ac beneplaciti alia atque alia esse possit, verum autem est quod signi & beneplaciti voluntas sint similes, notantes eandem actionem ac idem objectum.

XLIX.

Impium proinde est pronunciatum Calvinianorum, stantium voluntatem signi ac beneplaciti esse contraria, quod exemplo Theologico confirmant Petrus Martyr in loc. commun. f. 223. ait Deum voluntate signi quidem voluisse ut viveret homo, voluntate autem beneplaciti ut interiret. Beza in Resp. ad colloq.



loq. Momp. p. 173. Deum in voluntate signi animum præ se ferre benevolum, in voluntate autem beneplaciti animum inimicum. Deinde Calvinianorum distinctionem hoc simili evertimus: Ut verba desinunt esse vera signa, quando iis aliud significatur, & aliud mente concipitur: Ita etiam voluntas signi non est quod esse debet, quàm primum ab interno Dei Beneplacito discrepare fingitur.

F I N I S.





ULB Halle

3

003 792 129



05 A 2445


VD17











Farbkarte #13

B.I.G.



theologica

o e

O,

ionibus.

RECTORE,  
IDE

endo, Clarissimo,  
celeberrimo,

E MEISNERO,

Publico, Præceptore  
ternum colendo,

tioni subicit

lemia VVitebergensi,

NAGELIUS

rchicus.

horis à 7. matutinis.



ERGÆ

USTI BORECK,

OC. XXV.

